



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 6. An contractus sine solemnitatibus à jure requisitis factus ligat  
conscientiam?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

est; & perinde se habet, ac si factus non esset: cum annullatus sit per legitimam potestatem, cui voluntates, & bona subditorum subjiuntur. Quòd si contractus non sit ipso facto irritus, sed tantum irritandus, obligat in conscientia, donec à iudice irritetur.

*Q. 5. An qui habuit animum contrahendi, sed cum voluntate expressa non se obligandi, manet obligatus?*

*Resp.* Si voluntas contrahendi prævaleat voluntati non se obligandi, sitque magis efficax, & absoluta, tunc verè obligatur; nam tunc fit verus contractus, qui necessariò parit obligationem; si verò posterior voluntas prævaleat priori, vel utraque sit æqualis, tunc nullus est contractus; quia deest voluntas efficax verè contrahendi, cum essentialè sit contractui inducere obligationem. Sed tunc ratione injuriæ, qua injustè proximum tecum bona fide contrahentem decepisti, teneris præstare id, quod ei exterius promisisti: nam teneris tollere injustam deceptionem, habendo voluntatem veram te obligandi, & eam implere, si alter velit.

*Q. 6. An contractus sine solemnitatibus à jure requisitis factus ligat conscientiam?*

*Not.* Solemnitates sunt quidam ritus, seu con-

conditiones, quæ secundum leges in contractibus adhiberi debent, v. g. certus numerus testium, &c.

*Resp.* Contractus defectu solemnitatis Jure positivo invalidus non obligat in conscientia, & nullus est in utroque foro: quia est sufficiens potestas in Ecclesia, & in Rep. ad invalidandos actus subditorum, & ad præscribendam formam in contractibus, qua sublata non obligent; nam hæc potestas valdè expedit, imò necessaria est ad bonum commune, & ad rectam administrationem; & voluntas, ac bona subditorum subjiciuntur potestati legislativæ in ordine ad bonum commune, & rectam illorum gubernationem. Patétque ex praxi, v. g. in matrimonio clandestino, in contractu pupilli sine tutoris auctoritate, &c.

Cognoscitur autem contractum esse invalidum vel ex verbis legis, aut consuetudine, vel si judici constaret nullam in eo esse fraudem, & tamen censeretur nullus.

Observe 1. in omni contractu servari debent leges, ac consuetudines loci, in quo fit, ex cap. ult. *de foro compet.* & l. 6. ff. *de evict.* 2. In contractu apponi possunt onera, & obligationes ei ex naturæ rei non annexa, modò non repugnent naturæ talis contractûs, nec lege prohibeantur: quia quisque potest Jure suo cedere, & se obligare ad id ad quod aliàs non teneretur. Sed debent onera illa compensari,

cum sint pretio aestimabilia: alias non servaretur aequalitas. Apposita autem impleri debent ex justitia, juxta reg. 85. Jur. in 6. *Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur*, & l. 1. ff. *depos.* 3. Non omnis contractus factus contra legem est invalidus, nam multa fieri prohibentur, quae facta tenent, ut constat ex Jure: sic valet venditio rei jam alteri venditae, sed nondum traditae, quamvis sit illicita.

Q. 7. *An contractus invalidus firmatur juramento, & obligat ex justitia?*

Not. 1. Aliud est juramentum esse validum, & aliud contractum juramento firmari. Juramentum est praecise validum, quando servari debet ob honorem Dei adducti in testem, quamvis per illud nullum jus acquirat is, in cujus favorem factum est: unde induerit solum obligationem religionis, quae tota respicit Deum, nec transit ad haereditatem, utpote personalis, tolliturque Juramenti relaxatione. Juramentum vero firmat contractum, quando validum contractum efficit, ideoque non solum inducit obligationem religionis, sed etiam Justitiae, & jus tribuit alteri. Unde obtentam Juramenti relaxationem, remanet obligatio Justitiae orta ex contractu valido, quae transit ad haereditatem, utpote realis, ex l. 8. ff. *de peric. & commodo rei venditae.*

Not.